



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suaui Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XI. Synodus Venetijs excepta. Adhibita à Pontifice studia, vt pariter exciperetur in Gallia; & interiectae difficultates. Melior in Hispania successus. Superior locus à Pontifice tributus ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11718**

*Synodus Venetijs excepta. Adhibita à Pontifice studia, vt pariter exciperetur in Gallia; & interiectæ difficultates. Melior in Hispania successus. Superior locus à Pontifice tributus Oratori Gallico in Pontificio sacello.*

**N**on prius absoluta fuit Synodus, quàm Pontifex omnem adhibuit solertiam, vt ea à cunctis Principibus Catholicis exciperetur. Summam ad id animi alacritatem Itali exercuerunt: præsertim verò Respublica Veneta Concilium promulgari iussit in Basilica S. Marci inter sacrificij solemniam<sup>a</sup>, eiusque obseruationem iniunxit suorum oppidorum rectoribus. Quapropter Pius, ad grati animi argumentum erga studium quod ea Respublica perpetuò præ se tulerat in illius salutaris operis processu, attribuit Oratoribus Venetis Romæ magnificas ædes prope templum S. Marci Venerorum Patroni, extractas à Paulo II. eiusdem Reipublicæ filio, ad Pontificum domicilium; idque per diploma motu proprio fecit, ornauitque ibi præclaris laudibus Venetos Senatores, & egregiam eorum obseruantiam in Apostolicam Sedem.

<sup>a</sup> Morosius lib. 8.

**S**ed omnem animi conatum conuertit, tamquam ad maioris momenti molem, vt idem obtineret à Principibus ultra montes; ac præcipuè à duobus primarijs Regibus. Redierat in Galliam Sanctacrucius ad suum Nuntij munus; obtulitque Reginae promptam Pontificis voluntatem ac studia, vt colloquium, ab illa enixè expetitur, conficeretur; & per eam opportunitatem, quam neruosissimè potuit, ab ea flagitauit vt exciperet Concilium, conuocatum<sup>b</sup> & à Pontifice celebratum ipso Rege Galliarum petente, cum tanto & suo & Christiani orbis labore. Sed initio spatium temporis petijt Regina, dicens, Oportere sibi & Decreta conspiciere, & Lotharingum audire. His peractis, adhuc illa moras protrahebat, per speciem quòd nondum cernebatur Pontificis confirmatio: quare si spatium ad deliberandum ille postulabat, multò magis alijs ab eo concedendum esse. Acceptà dein Pontificis confirmatione, respondit, Nondum sciri, an Hispaniarum Rex Synodum accepturus esset; & affirmante Nuntio, id certò innotescere; tamen, aiebat Regina, sibi contraria nuntiarum; fortasse ne hoc pallio priuaretur: sed verum erat id quod Sanctacrucius affirmabat. Etenim absolutà Synodo, statim Pontifex per suum Nuntium Vicecomitem

<sup>b</sup> Patet ex plurimis literis Sanctacrucij ad Borrom. & ad Gallum 7 Ianuarij 1564. vsque ad 23. Iulij 1564.

1564. mitem ea de re Philippum Regem monuit, expositâ illi necessitate, quâ Patres coacti fuerant, ne disertum Regis consensum præstolerentur, sed illum præsumerent. Cuncta per summam concordiam processisse, nec aliud nisi Lunensis subscriptionem deesse. Sperari tamen, id quod in ministro desiderabatur, ab auctoritate Principis abundè suppletum iri. Nec postulato defuit efficacia: nam Philippus, re suo in Consilio perpensâ, effecit ut exciperetur Synodus à cunctis Ecclesijs Hispaniæ, ac deinceps à reliquis suarum ditionum, sicuti mox amplius renarrandum erit.

Litteræ  
Borrom. ad  
duos Hispaniæ  
Nuntios  
16. Februarij  
1564.

Galliæ Regina, cum se hoc exemplo cogi sentiret, cœpit excusare se, causata, robustiorem cibum melius concoqui posse à corporis benevalentis stomacho, cuiusmodi erat Hispaniæ regnum, quàm ab infirmo, qualis erat in Gallia. Sed contra Nuntius: Quin potius indigere medicamento egrum quàm sanum. Denique redacta res est ad duas difficultates, à Regina & à magno Cancellario propositas.

Prior erat, prohibitio, ne Regularium sacerdotia in Commendationem traderentur; hac enim ratione plurimos ex primarijs viris Rex sibi deuinciebat, quorum operâ in illis rerum conditionibus indigebat. Nec veritus est Cancellarius Nuntio dicere, Lotharingum, postquam sibi ventrem oppleuerat, velle alijs ieiunium præscribere.

Altera vniuersalior, erat metus, ne irritarentur hugonotti, à Synodo per tot anathemata vulnerati: qui metus eò deuenit, ut Regina, nihil magis exosa quàm omnem auram vnde fretum illud turbari posset, Nuntio permittere noluerit, ut exemplaria Concilij, typis impressa, Præsulibus distribueret, dicens, Eadem non minùs aliundè ab ipsis haberi absque speciosa illa pompa. Sed Nuntius non idcirco destitit ab incepto.

Præ se ferebat in his negotijs Regina turbidum animum in Pontificem & in se ipsa & in tota Gallia, propterea quòd suspensam adhuc litem Pius tenebat de prærogatiua inter duorum Regum Oratores Romæ degentes; perinde quasi possessionis spoliatio id esset potius, quàm sententiæ retardatio. Etenim diu Pontifex abstinerat, per speciem confirmandæ valetudinis, ab accessu ad Pontificium sacellum; & solemnè die Parasceues, quo è superiori Vaticani porticu Pontifex populo benè precari solet, rem ita composuerat, ut primus inter Oratores gradus haud appareret, prætentò nomine, quòd mos non esset in ea functione loci ordinem seruari. Ex quo Gallicus Orator Oiselius petendæ veniæ abeundi occasionem ceperat; ac postea retentus fuerat, oblatâ spe quòd in festo

Pente-

In litteris  
Nuntij ad  
Borrom. &  
ad Galliam  
14 Aprilis  
1564.

Pentecostes satis ipsi fieret, cum confideret interim Pontifex, Hispanorum animos flexum iri, ut qui litteras principio Regis manuscriptas acceperat, sicuti suo loco narrauimus, ubi dixerat, nolle se ad hæc inania visum flectere. Et quamuis ille postea mentem mutauerit ob allatas à suo Consilio rationes, Pontifex cum speraret eum ad sensus pristinos à se adductum iri, illi ponebat ob oculos, Quò deteriora erant Galliarum mala, ab ipso Rege sibi significata, eò magis oportere, ne medicina difficilior redderetur, cum totius Christianæ Reipublicæ periculo, propter quamdam umbræ imaginariæ quæstionem. His tamen Pontificis cohortationibus, quas duo Nuntij detulerant, Philippus responderat; Se quidem ex seculari Pontificis pedes, sed rem nimium fuisse progressam, adeoque mandatis à se Oratori traditis se remittere. Et quidem Ruigomezius disertè reiecerat ea quæ ambo Nuntij proposuerant, ut nimirum Hispanus Orator domi maneret diebus solemnibus functionis; eisquæ dixerat, ijs positis quæ in Synodo euenerant, mentem esse Regis progredi; non regredi.

6 Interim Pius, ad sternendam negotio viam, in animo habuerat, cunctis Oratoribus imperare ne illorum quispiam, antequam à se accirentur, conueniret ad solennes functiones; & ne Gallus repugnaret, operam dederat, ut Cæsar Oratorem suum iuberet consentire: qui cum ex vno capite sine controuersia esset maximus, reliquis exemplo esse poterat; & ex altero capite hæc ipsa indubitata prærogatiua proderat, ne Princeps ille de huiusmodi dignitatis argumentis admodum laboraret, & facilius flecteretur ad ea intermittenda erga se, quò aliorum certamina præpediret, ad quod valdè pronum videbatur amabile ac mansuetum ingenium Ferdinandi: & re ipsa ille non restitit, suumque Oratorem iussit sic agere, simulque dissimulare, id sibi à suo Principe iniunctum fuisse; quin declararet, se abstinere à solemnibus celebratibus ob merum in Pontificem obsequium, quò fortiùs hoc pacto ad imitationem traheret Gallum.

7 Sed omnia incassum. Vbi delatum est in Galliam id quod solemnè Parasceues die contigerat, ingens perturbatio est excitata: Regina verò narrauit Nuntio, Regem, quamuis puerum, dixisse in pleno suo Consilio, se huiusmodi iniuriam haud passurum; Oratorem se benè gessisse in venia abeundi petenda, sed postea malè in suspendendo discessu. Quando res eò peruenerat, expectaret usque ad Pentecosten; & ubi tunc debitum honorem non acciperet, statim abiret, & vnà cum eo Burdesius

Sffff 3

Cardi-

1564.

In litteris Nuntij ad Galliam 1. Maij 1564. & fufius in litteris Pontificis ad Nuntium 6. Decembris 1563.

Litteræ Critellij, & Vicecomitis Nuntiorum ad Borrom. 3. & 6. Martij 1564. quarum summa est apud Barberinos. Ex litteris Delfini ad Borrom. 26. Aprilis 1564.

1564. Cardinalis. Adiecit Regina: Velle se loqui non solum tamquam Regis matrem, sed tamquam Sedis Apostolicæ filiam. Vbi Pontifex huic muneri suo defuisset, à se paratam conspici vim magnam sulphuris, quo Ecclesiæ osiores tenelli Regis animum inflammarent cum clade Religionis, ad cuius turbas componendas alioqui tunc cernebatur bona Gallici Regni habitudo. Et eodem in se sensus illi aperuit Lotharingus Cardinalis. Quamobrem Nuntius Romanus scripsit, confidere se, minimè futurum, vt optimus Rex Philippus vellet per inanem illum fumum materiam præbere incendio tot animis lethali, & tam periculoso suis quoque proximis ditionibus & Hispaniæ & Belgij. In tanti Regis dignitatem cessurum, si palàm fieret, prudentius ab eo quàm ab eius Consilio latum fuisse iudicium. Id si Pontifex ageret, non nisi quod idem Pontifex aliàs egerat tunc acturum, quodque etiam agebatur à Senatu Veneto, cuius grauitas & auctoritas præualidum clypeum imitatoribus porrexisset.

Nec Regina ad suos exprimendos sensus consuetà ministrorum voce solum vsa fuerat; sed quò præterea ardorem ostenderet simul & adderet, Romam ad id miserat Villeroum<sup>b</sup>, qui postmodum ob ætatem Galliæ Nestor euasit.

Pontifex obtulerat, se causam commissurum aut Purpuratorum Collegio, aut Rotæ Romanæ<sup>d</sup>. Sed cum partes in excipiendo oblato cunctarentur, interim præcepit Pontifex, vt saluis rationibus vtriusque partis in iure præcipuo, retineretur Gallici Oratoris possessio, eique locus ille traderetur, quem huiusmodi Oratores tenuerant aliàs dum Carolus V. Philippi Regis parens, Hispaniæ Rex erat, & nondum Cæsar, & quem re ipsa postea possederant se Pontifice tum in sacello, tum in Concilio Tridentino: atque iterum confirmauit quod obtulerat, se decisionem controuersiæ commissurum alteri ex duobus, quæ diximus, Tribunalibus.

Degebat Romæ Hispani Regis Orator Aloysius Requesenius, Magnus Castellæ Commendator, ex Ordine S. Iacobi, qui postea Mediolano præfuit, & Belgij administratione illustris fuit. Is ad hanc Pontificis iussione grauitè iram sonantia verba protulit, & vel ipse, vel alter Hispanus minister creditus fuit in minas prorupisse, Regem armis rem vindicaturum. Curauit Pontifex, vt de ijs omnibus Galliæ Regina fieret certior<sup>k</sup>, affirmauitque, se, humanis rationibus spectatis, numquam ad id peragendum fuisse deuenturum; sed à studio iustitiæ religionisque permotum esse: sensus aded violentos à pia Catholici Regis mente valdè alienos à se putari; sed quidquid aduersi acci-

<sup>k</sup> Occultæ  
noce Nuntij  
in Gallia ad  
botre. m. 17.  
Iunij 1564.

Hispaniæ  
Concilio Trid.  
pars III  
SIV

accidisset, speraturum se Christianissimi Regis defensionem. Responsum est à Regina per studiosam gratiarum actionem ob rem peractam, ostensumque, nec à se credi eiusmodi sensus in Philippo Rege: ubi quid ex aduerso contingeret, opem Regis filij, qui aderat colloquio, sponndit, pro maiorum suorum exemplis. Id verò formulis tam eniunctis & tam breuibus, vt satis intellectum fuerit, ibi tunc nec vires, nec animum esse ad conferendum auxilium, sed potiùs desiderium atque indigentiam illius excipiendi.

1564

10 Hæc gratificatio exhibita Galliæ, non ad aliud conduxit, nisi ad noua mala prohibenda: ceterum de Concilio in perplexis responsis perstitum est. Legauit ad Regem postea <sup>1</sup> Pontifex Ludouicum <sup>m</sup> Antinorum, qui simul afferret facultatem <sup>n</sup> alienandi bona quædam Ecclesiastica, minoris pretij quàm alia à Rege alienata, quæ per hanc posteriorem alienationem, legitimè faciendam, recuperari debebant, priori tamquam non legitimâ abrogatâ: & per eumdem Antinorum obtulit, se illi consensurum de legatione Auenionensi, quam Rex, vt narrauimus, pro Borbonio Cardinali, Regis Nauarræ demortui fratre, petierat, dummodò hic datâ fide polliceretur, seruaturum se regionem illam illâsam ab hæresi. Pius verò in se recepit compensationem aliâ viâ præstandam Farnesio Cardinali, qui legationem illam exercebat. Atque ita sequenti Aprili <sup>o</sup> perfectum est. Iam verò vnâ cum his beneficijs secum detulit Antinorus noua & præualida postulata, vt Synodus exciperetur, cum videretur Pontifici & opportunitas grata, dum quod erat debitum petebatur, non debito priùs collato, & sequester idoneus, vt potè negotij ac nationis peritus. Verumtamen aliud ille non impetrauit <sup>p</sup>, nisi hortamen ad patientiam, & quòd priùs hugonotto- rum seditiones essent sedandæ: quæ vsitatæ sunt formulæ mitigandæ repulsæ minùs acerbo nomine cunctationis.

1 Octobri  
mense 1564.  
m Autogra-  
phum man-  
datorum a-  
pud me est.  
n Acta Con-  
sistorialia 5.  
Augusti  
1564.

o Acta Con-  
sistor. 13. A-  
prilis 1564.  
p Litteræ  
Nuntij ad  
Borrom.  
23. Iulij  
1564.



CAPVT